



praemio, quando illi supplicio afficiuntur? nunquam: & tamen aequa lance ponderat omnia aequissimus iudex. Recte infert S. CHRYSOSTOMUS: *si nihil est post hanc vitam, ne Deus quidem est. Sin Deus est: quodsi justus sit, pro dignitate tribuet cuique.* *

24. Igitur pios merces, sceleratos poena manet, utraque in vita altera: an etiam aeternum manent? aeternum sane: non sufficit supplicium plurium annorum? non sufficit, quia alias efficacitas deest, quae debitam legibus auctoritatem conciliet, quae homines etiam tunc, quando maximae difficultates superandae sunt, ad praeceptorum observationem impellat, homines, qui continenter ad malum proclives sunt, quos bona praesentia maxime alliciunt, & quibus sensuum ilicia nimium blandiuntur, quod homines ita comparatos, supplicium finem habiturum vel a vitiis factis retrahere, vel ad virtutem sufficienter impellere valeat, quis prudenter suspicari poterit? non sufficit praemium temporaneum, quia alias bonorum remuneratio admodum imperfecta, atque summi Numinis majestati parum decora foret: remuneratio ista eos, quibus confertur vere beatos reddere debet; indecens profecto atque indecorum est Deo

G

fer-

* *Oratione IV. de Providentia.*